

8° 1837
N. 57

**STOICORUM
SENTENTIAE DE MORIBUS.**

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA UNIVERSITATE LITERARIA
TURICENSI**

UT SUMMI

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII MARTII ANNI MDCCCXXXVII HORA X.

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR


F. X. GRUBER

ROTOVILLEN SIS.

TURICI

TYPIS FRIDERICI SCHULTHESSII.

MDCCCXXXVII.



STICORUM

STICORUM DE MORIBUS

DISSECTIO DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

ALMA UNIVERSITATE LIBRARIA

TURICENSIS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS


DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS

DE MORIBUS



CAPUT I.

DIVISIO PHILOSOPHIAE.

§. 1. Princeps Stoicorum, Zeno, qui Polemonem audiverat assidue, non tam rerum inventor fuit, quam novorum verborum, multis in rebus Academicos secutus, nec non in divisione partium philosophiae. Omnes enim Stoici philosophiam in tres partes dividerunt, quarum una est ea, quae de moribus disserit, quae *Ethica* vocatur: ad eamque partem *Dialecticam* et *Physicam* adjungunt, easque tres virtutum nomine appellant, unam, quae mores corroboret, alteram, quae habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate fallamur, ut ea, quae de bonis et malis dicamus, tenere tuerique possimus. nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. Physicae quoque non sine causa tributus est idem honos, propterea, quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei et proficiscendum est ab omni mundo et ab ejus procuracione. nec vero potest quisquam de bonis et de malis vere judicare, nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa ¹. Omnes igitur tres partes philosophiae, *Ethica*, *Dialectica* et *Physica*, virtutes sunt, et continentur *sapientia*, quae *σοφία* vocatur. Ea enim est *scientia rerum divinarum et humanarum*; philosophia autem est *scientia et exercitatio artis necessariae*. sed necessariam nullam artem esse dicunt, nisi virtutem, quae sola et summa ars sit; virtutes autem esse tres, quarum una physica, altera ethica, tertia dialectica; quam ob rem philosophiam etiam tripartitam esse, ejusque partes esse Physicam, Ethicam et Logicam. Physica

1) Cic. de fin. bon. et mal. III. c. 21, 22. Acad. quaest. I. c. 10, 11.

tractat mundum, ut Stoicis placet, et eas res, quae in mundo reperiuntur; Ethica res gerendas et administrandas in vita humana; Logica tractat vim orationis et rationis, quae etiam Dialectica nominantur. Plut. de plac. phil. I. prooem. — Quam partitionem philosophiae ab Academicis Peripateticisque acceptam omnes Stoici, sed diversi diverso modo, tenuerunt. Cicero Zenonis disciplinam, sicut solebat Antiochus, explicans, primam ponit Ethicam, alteram Physicam, tertiam Dialecticam, sed in illis libris, qui inscribuntur de finibus bonorum et malorum, illius Zenonis philosophiam tripartitam esse dicit, cujus primam partem Ethicam, alteram Dialecticam et tertiam Physicam, quam partitionem variis locis Zenoni attribuit ¹. Cleanthes autem primas partes philosophiae Dialecticam et Rhetoricen, secundas Ethicam et Politicam, tertias Physicam et Theologiam esse censuit, quam partitionem Chrysippus secutus est, qui omnes veteres hanc divisionem tripartitam tenuisse dicebat, eamque necessariam esse; quare Sextus Empiricus omnibus Stoicis hanc partitionem tribuit, quamvis constaret, Panaetium et Posidonium physicam partem primam, Apollodorum logicam mediam posuisse ². §. 2. Principes Stoicorum, *Zeno Cittius*, *Cleanthes Assius* et *Chrysippus Solensis* rebus et verbis fere consentiunt, quum posteriores non raro dissideant. Quare, qui Ethicam Stoicorum brevi explicare instituerim, praeceteris Zenonem, nec non Cleanthem et Chrysippum aliosque sequar, et si qua dissideant, explicabo, quibus in rebus exponendis maxime Ciceronem auctorem sequar, quum res tam difficilis novisque verbis expressa a nullo alio strictius, sagacius et verius dicta sit, et ego is sim, qui Cicerone melius sententias Stoicorum explicare non possim. sed omnes sententias cum Diogene Laertio, Plutarcho, Stobaeo, Sexto Empirico aliisque conferam.

1) Cic. de fin. bon. et mal. III. c. 21. 22. IV. c. 2. c. 4. 5. Acad. quaest. I. c. 9. 10. 11.

2) D. Laert. VII. 39. 40. 41. 42. lib. IV. *περὶ βίωσ.* Plut. de repugn. Stoic. S. Emp.

C A P U T II.

ZENONIS SENTENTIA DE MORIBUS.

§. 1. Zeno omnia, quae ad beatam vitam pertinent, in una virtute posuit, nec quidquam aliud numeravit in bonis, idque appellavit honestum, quod esset simplex quoddam et solum et bonum. Cetera autem, etsi nec bona nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturae esse contraria. iis ipsis alia interjecta et media numerabat. quae autem secundum naturam essent, ea sumenda et quadam aestimatione dignanda docebat: contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino esse momenti. sed quae essent sumenda, ex iis alia pluris esse aestimanda, alia minoris. quae pluris, ea praeposita sive προηγμένα appellabant, rejecta sive αποπροηγμένα autem, quae minoris. atque ut haec non tam rebus, quam vocabulis, commutaverat, sic inter recte factum et peccatum, id est, κατόρθωμα et κακίαν, officium sive καθήκον et contra officium media locabat quaedam; recte facta sola in bonis actionibus ponens, prave, id est, peccata, in malis. officia autem et servata praetermissaque media putabat, ut dixi. Cumque superiores, id est, Academici et Peripatetici non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas. sic omnes in ratione ponebat. cumque illi ea genera virtutum, quae supra dixi, sejungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat, nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum, nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. cumque probationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere et concupiscere et extimescere et efferri laetitia dicerent, sed eam contraherent, in angustumque deducerent, hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. nam et perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque iudicio suscipi et omnium perturbationum arbitrabatur esse

matrem, immoderatam quandam intemperantiam ¹. Quum Zeno de moribus sic sentiret, de bono et malo et de rebus indifferentibus disseruisse constat. Zenonem Cittiicum, Cle-anthem et Chrysippum partitionem simplicem tenuisse scimus, cum posteriores de appetitu, de bono et malo, de passionibus animi, de virtute, de fine honorum et malorum, de aestimatione, de actionibus, de officiis aliisque rebus accuratius dissererent ².

C A P U T III.

APPETITUS SIVE 'OPMH.

§. 1. Omnes Stoici ab appetitu omnia officia proficisci consentiunt. Nam, ut apud Laertium, ad vitam tuendam appetitus animali datur, quae constitutio principio generi animantium omni est a natura tributa. Communis est enim omnium animantium, ut Chrysippus autumat, illa constitutio, ejusque conscientia, quod naturae animantem ab animante alienari et segregari non placuit; itaque dicere fas est, genus animalium ita esse affectum, ut sibi ipsi commendatum et conciliatum sit, declinetque ea, quae nocitura videantur, appetatque ea, quae naturae conveniunt ³.

§. 2. Quibus autem *principiis naturalibus* plerique Stoici voluptatem inesse negant, atque, etsi natura iis rebus voluptatem adjunxisse videatur, quae appetuntur et quae conservantia sunt status naturae quibus omnes animantes delectentur plantaeque augeantur, accessiones (*ἐπιγέννημα*) tantum appellandas esse illas voluptates. nequaquam enim, illi dicunt, naturam aberravisse, quod plantas appetitu et sensu carere voluit, nobisque partem quandam plantarum insevit, cum animantibus appetitum dederit, quo duce salutaria appetant, plantis vero vim naturae convenienter agentem. quibus

1) Cic. acad. quaest. I. c. 10.

2) D. Laert. VII. 84.

3) D. Laert. VII. §. 85 ed. Alcib. Cic. de fin. bon. et mal. III. c. 5. V. c. 9.

animantibus autem rationem ingeneravit natura, qua ceteris antestarent, iisdem praecepit, ut secundum rationem viverent. Quibus e rebus secundum rationem et secundum naturam vivere idem esse constat ¹. §. 3. Chrysippus exponens differentias animantium, ait, alias earum corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere utraque re: deinde disputat, quod cujusque generis animantis statui deceat extremum; cum autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam, summum bonum id constituit, non ut excellere animo, sed uti nihil esse praeter animum videretur ².

C A P U T IV.

FINIS BONORUM ET MALORUM.

§. 1. Itaque Stoici *secundum naturam vivere*, quod *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν* appellant, *summum bonum* esse dixerunt, hisque verbis tria significari, unum ejusmodi, *vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent*, qui est Zenonis, Cleanthis, Chrysippi, Antipatri et Panaetii finis; alterum significare idem, ut si diceretur, *officia omnia media aut pleraque servantem vivere*, qui est Archedemi; tertium autem, *omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sint, fruente vivere*, qui est finis Diogenis. divitias enim Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad validitatem bonam, sed etiam ut ea contineant ³. Naturam, qua duce viveremus, tribus modis Stoici exposuerunt, quorum primus est Zenonis, qui scientiam rationem (*λόγον*) esse censuit, ita ut *rationi convenienter vivere et naturae* idem esse diceret, nullaque in re, nisi in virtute propensionem, ne minimi quidem momenti, ad summum bonum adipiscendum esse ⁴.

1) D. Laert. VII. 86. Cic. de fin. bon. V. 12.

2) Cic. de fin. IV. c. 11.

3) Cic. de fin. IV. c. 6. III. 15. D. Laert. VII. 87. 88. 89.

4) D. Laert. VII. 88. Stob. ecl. eth. Cic. de fin. IV. 17.

§. 2. Itaque Zeno summum bonum in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, posuit, nec quidquam aliud bonum esse dicit, nisi quod esset honestum, nec virtutem posse consistere, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset aut pejus¹. Zenonis finis est ratio per omnem pertinens naturam², naturalis lex, vis recta imperans prohibensque contraria, ratio recta, quam ὀρθὸν λόγον appellat, omnia penetrans et in hominibus et in daemonibus sibi consentiens³. §. 3. Altera sententia est ea Chrysippi, qui rationem experientiam esse censuit, cum secundum virtutem vivere idem esse diceret, ac secundum experientiam, id est κατ' ἐμπειρίαν, earum rerum, quae natura evenirent⁴. §. 4. Chrysippum Panaetius et Posidonius secuti sunt teste Clemente⁵, qui experientiam e natura rerum haustam rationem et virtutem esse voluerunt. §. 5. Tertia differentia Stoicorum est ea Diogenis, Antipatri et Archedemi, qui nec rationem solam, nec experientiam solam sufficere ad beatam vitam, sed conjunctionem rationis et experientiae necessariam esse dixerunt, ut eligeremus cogitatione, quam actionem εὐλογιστὴν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ Diogenes appellabat, ea, quae nobis secundum naturam esse viderentur⁶. §. 6. Zeno igitur naturae convenienter vivere idem esse ac rationi congruenter vivere, Cleanthes secundum naturam communem, Chrysippus secundum experientiam, Diogenes, Antipater et Archedemus nec secundum rationem solam sed etiam secundum experientiam vivere finem bonorum esse voluerunt; omnibus autem Stoicis placet, naturae convenienter et congruenter vivere finem bonorum esse, quem, ut Zeno, Cleanthes et Chrysippus putant, illam efficere beatitudinem, quae sit bonus vitae fluxus, quem εὐροίαν βίον vocant⁷.

1) Cic. de fin. bon. IV. c. 19.

2) Cicero de nat. deor. I. c. 14.

3) D. Laert. VII. 88. 309.

4) D. Laert. VII. 87.

5) Alex. Strom. II.

6) Clem. Alex. Strom. II. Stob. D. Laert.

7) S. Empiricus. adv. mathem. XI. adv. eth. §. 30. p. 696. ed. Fabr.

C A P U T V.

HONESTUM ET TURPE.

§. 1. Omnes Stoici consentiunt, secundum naturam vivere finem honorum esse, atque omnia officia a principiis naturae proficisci. sed coryphaei Stoicorum, Zeno, Cleanthes et Chrysippus, in definiendis rebus differunt quodammodo a posterioribus. Propria est praeceptio omnium Stoicorum, nec non Academicorum et Peripateticorum, honestatem propter se esse expetendam, sed *illi principes Stoicorum solam virtutem expetendam esse dixerunt, quum posteriores Stoicorum et sententiam Peripateticorum quodammodo sequerentur, qui extra virtutem quaedam bona esse censerent, quae quid ad beate vivendum attribuerent.* Zeno enim summum bonum, vel potius *solum bonum*, in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, posuit, nec quidquam aliud bonum esse dixit, nisi quod esset honestum, nec virtutem posse constare, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset aut pejus; his propositis tenuit prorsus consequentia, omnes, qui non essent sapientes, aequae miseros esse, sapientes omnes summe beatos esse, recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria esse.¹ §. 2. Omnia recte facta, ut Zenoni placere accepimus, aequalia sunt, qui negat, longe praestantissimum esse, quod honestum esset atque laudabile, sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum validudine, alterum cum morbo, non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit; sed tamen tantam vim honestatis esse, tantumque eam rebus omnibus praestare et excellere, ut nullis nec suppliciis nec praemiis dimoveri possit ab eo, quod rectum esse decreverit, omniaque, quae dura, difficilia, adversa videantur, ea virtutibus iis, quibus a natura essemus ornati, obteri posse. Zeno, quod suam, quod propriam speciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat, beatam autem vitam eam solam, quae cum virtute degatur.² §. 3. Virtus enim ad beate

1) Cic. de fin. III. c. 19.

2) Cic. de fin. bon. IV. c. 21.

vivendum se ipsa contenta est, a Zenone magnifice, tamquam ex oraculo editur, et satis magnam vim in virtute esse ad beate vivendum, et extra honestum nullum esse bonum¹. Quibus Zenonis praeceptis nil altius, nil sagacius, nil magis sibi consentaneum inveniri potest, valdeque discrepant Zenonis, Cleanthis et Chrysippi sententiae de honesto et turpi ab opinionibus Panaetii, Posidonii, Diogenis et Archedemi, qui virtutem summum nec vero solum bonum esse dicerent, sed praeter virtutem etiam alia sumenda esse. Illa Zenonis sententia de honesto et turpi, de virtute et vitio, de solo bono, e Platonis disciplina manavit, qui in illo libro, qui de civitate inscribitur, ideas veri, pulchri et honesti illustravit, cum Panaetius, Posidonius et Diogenes Aristotelem quodammodo secuti essent. Quare Diogenes Laertius: ἀφελέστερον περὶ τῶν πραγμάτων διέλαβον, dicit, quum de principibus Stoicorum, Zenonis, Cleanthis et Chrysippi loquitur.² Nam cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonum esse decreverint, Zeno, nisi quod honestum esset, nihil putavit bonum³.

CAPUT VI.

HONESTUM EST PULCHRUM.

§. 1. *Officium rectum*, honestum sive pulchrum appellant Stoici id, quod *perfectum atque absolutum bonum est*, quod omnes numeros habet, quod summam harmoniam continet, quod τὸ τελείως σύμμετρον vocant.⁴ Id solum, quod honestum et pulchrum et decorum, ut Chrysippo et Hecatonii placet, bonum est, atque idem est, quod virtus, et id, in quo pulchrum et decorum continetur, idque quod bonum est, solum pulchrum et decorum.⁵ Concluduntur enim

1) Cic. de fin. V. 27. Tusc. quaest. V. 11.

2) D. Laert. VII. 84.

3) Cic. de leg. I. c. 20. de offic. III. 8.

4) D. Laert. VII. 100. Cic. de offic. III. 3.

5) D. Laert. VII. 101.

Stoicorum argumenta sic: quod est bonum, laudabile est; quod autem laudabile est, omne honestum est, bonum igitur quod est, honestum est¹. Pulchros et honestos solos vocari homines, putant Stoici, quibus insit bonum, quo laudabiles evadant, sive qui ingenii praestantia excellant². §. 2. Zeno igitur virtutem et honestatem et pulchritudinem re non differre censet, et virtutem ingenii praestantiam esse. Id autem, quod pulchrum est, quatuor generibus compleri Stoici putant, quae sunt: *justum, forte, moderatum et prudens*, quibus quatuor generibus omnes pulchras, decoras et honestas actiones contineri; pari modo id, quod turpe, quatuor generibus compleri putant, quae sunt: *injustum, timidum, intemperans et insipiens*³. §. 3. Quis est, qui non videat, Zenonem id, quod virum bonum facit, idem honestum et decorum et pulchrum habuisse, ita, ut ea praestantia sive vis viro bono inhaerens et insita virtus, et vir bonus, qui virtutem possideret, vir honestus et pulcher diceretur? §. 4. Quatuor autem virtutes sunt: prudentia, fortitudo, justitia et moderantia, ergo vir pulcher et honestus quatuor modis, justo, forti, moderato et prudente compleitur. Eam enim partem honestatis, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi, et rerum modus cernitur, Graeci *πρέπον* vocant, id, quod est decorum, idque sic definiunt: Decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. §. 5. Quae autem pars subjecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum esse velint, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali⁴. §. 6. Quae definitio Zenoni consentit, qui rationem naturam, et virtutem praestantiam et excellentiam ingenii esse putavit, et nihil pulchrum esse nisi honestum, nihil turpe nisi inhonestum censuit. Stoici enim, qui fuerunt paene Cynici et more Cynicorum quodam-

1) Cic. de fin. bon. III. 8. D. Laert. VII. 101.

2) D. Laert. VII. 100.

3) D. Laert. VII. 100.

4) Cic. de off. I. 27.

modo vivendum esse censuerunt, reprehendunt et irrident, quod ea, quae turpia re non sint, nominibus ac verbis flagitiosa ducamus, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis¹. §. 7. Foeda et flagitiosa Posidonius collegit multa, sed ita tetra quaedam et obscoena, ut dictu quoque videantur turpia². Quae cum ita sint, ut honesta sola pulchra et pulchra sola honesta, ut honesta et decora re non differant, quod τὰ αὐτὰ πρόπει τε καὶ πρόποντά ἐστι, differentia puerorum et puellarum, quae est natura, non est turpis, ut Zenoni placuit, et matrimonium Jocastae non fuit turpe, quum, ut Chrysippus putat, matrimonium inter agnatos et cognatos, matrum et filiorum, patrum et filiarum, fratrum et sororum conjunctio non re et natura, sed opinione tantum, sit turpe³. §. 8. Zeno, Cleanthes et Chrysippus nihil turpe, nisi inhonestum et vitium, nihil pulchrum nisi honestum et virtutem duxerunt, quum id, quod honestum, φύσει, neque vero θεῶσει esse dicerent.⁴

CAPUT VII.

ID, QUOD HONESTUM, EST BONUM ET VERUM.

§. 1. Zeno naturalem legem divinam esse censet, eamque vim obtinere recta imperantem prohibentemque contraria; atque hic idem alio loco aethera deum dicit, aliis autem libris *rationem* quandam per omnem naturam rerum permanentem, ut, divinam esse affectam, putat. §. 2. Cleanthes, qui Zenonem audivit, tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum, omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat; idemque in iis libris, quos scripsit contra

1) Cic. de off. I. 35.

2) Cic. eod. 45.

3) S. Emp. adv. math. XI. adv. eth. 190 sq.

4) D. Laert. VII. 128.

voluptatem, tum fingit formam quandam et speciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit astris, tum nihil *ratione* censet esse divinius. §. 3. *Chrysippus* vim divinam in *ratione* esse positam et universae naturae animo atque mente, ipsumque mundum deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam, tum ejus ipsius principatum, qui in mente et *ratione* versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem, tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum¹. §. 4. Cum autem *Zeno* praecepisset, idem esse, secundum *rationem* ac secundum naturam ac secundum virtutem vivere, sequitur, apud *Zenonem* deum, naturam, *rationem* et virtutem non differre. quare *omnia bona aequalia* esse dixit, neque crescere neque decrescere, μήτε ἔνεσιν μήτε ἐπίσσειν δέχεσθαι dixit, quod perfecta et omnibus numeris absoluta sunt². Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae, et ut interit magnitudine maris *Aegaei* stilla muriae, et ut in divitiis *Croesi* teruncii accessio, et gradus unus in ea via, quae est hinc in *Indiam*, sic, cum sit is honorum finis, quem *Stoici* dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat recessu est. et quemadmodum *opportunitas*, sic enim appellemus ἐγκαίριαν, non fit major productione temporis — habent enim suum modum quaecumque opportuna dicuntur, — sic recta effectio — κατόρθωσις enim ita appello, quoniam recte factum κατόρθωμα — recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. ut enim *opportunitas* illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora, ob eamque causam *Stoicis* non videtur optabilior, nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis, utunturque simili. ut si *cothurni* laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi *cothurni* paucis anteponerentur, nec majores minoribus, sic quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec longinquiora

1) Cic. de nat. deor. I. c. 14. 15.

2) D. Laert. VII. 101.

brevioribus anteponebantur.¹ §. 5. Id, quod honestum et bonum et verum et summe perfectum, omnibusque numeris absolutum esse, Stoicis placuit, et re vera nequaquam differre, sed omnia bona et vera aequalia esse. Hoc autem ipsum bonum non accessione, ut iidem putant, neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum. Ut mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur, sic bonum hoc, de quo agimus, genere valet, non magnitudine.² Is enim, qui centum stadiis abest a Canopo, et is, qui uno, aequae non sunt in Canopo, ita et is, qui peccavit, non vivit cum virtute. Itaque Chrysippo, Persaeo et Zenoni placuit, omnes virtutes aequales omniaque peccata aequalia esse, quod fieri nullo modo posset, si *verum vero magis verum vel falsum falso magis falsum esset.*³ §. 6. Nam omnes res genere tantum valere (*καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως*) putant; ut enim lignum aut rectum aut distortum est, sic justum est factum, aut injustum, nullumque factum magis justum aut magis injustum inveniri potest.⁴ Nulla enim pars, Stoici putant, differt a toto, quamvis non sit totum; ita manus non est aliud, quam quod est homo, et homine manus, manu homo cogitatur.⁵ Quibus praemissis Stoici concludunt: ergo *nulla esse media inter virtutes et vitia*, omniaque aut bona aut mala aut utrumque esse, et omnes virtutes singulas continere virtutes, atque eum, qui unum possideat, omnes possidere.⁶ §. 7. Zenonem, Cleanthem, Chrysippum et Hecatonem omnia aut bona, aut mala, aut utrumque; quod *ἀδιάφορον* vocabant et opinione et cogitatione hominum solum productum esse putabant.

1) Cic. de fin. III. 14.

2) Cic. de fin.

3) D. Laert. VII. 120.

4) D. Laert. VII. 127.

5) S. Emp. IX. 1 adv. phys. 336. p. 616.

6) D. Laert. VII. 123, 127.

C A P U T VIII.
HONESTUM EST JUSTUM.

§. 1. Jus, quod *δίκαιον* appellant, *natura* esse, id est, *γύσει*, alienumque esse a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere. nec vero rectum est cum amicis aut bene meritis consociare aut conjungere injuriam; gravissimeque et verissime defenditur, numquam aequitatem ab utilitate posse sejungi, et quidquid aequum justumque esset, id etiam honestum, vicissimque, quidquid esset honestum, id justum etiam atque aequum fore¹. Nam a natura proficiscuntur et honestum et decorum et justum et verum; lex enim, virtus et *ratio* natura, id est, *γύσει*, neque vero *θέσει* sive *convenientia* hominum sunt; nam lex, quam *νόμον* Graeci vocant, recta ratio est, quam Stoici *ὀρθὸν λόγον* appellant². §. 2. *Legem enim, rectam esse rationem*, ea, quae facienda et agenda, imperantem, prohibentemque contraria, censent, eandemque legem naturalem deum esse et naturam, ut Zeno, et rationem per omnem naturam rerum pertinentem³. Lex naturalis, quae a Stoicis eadem *ὁ νόμος ὁ κοινός* vocatur, est ratio omnia permanens, quae ab ipsis *ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος* vocatur, est Zeus, omnium rerum artifex⁴. Chrysippus enim legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Jovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem, quorum nihil tale est, ut in eo vis divina non inesse videatur. idemque ait, vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente; ipsumque mundum deum dicit esse et ejus animi fusionem universam, tum ejus ipsius principatum, quod est *ἡγεμονικόν*, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem; tum fatalem vim et

1) Cic. de fin. III. 21.

2) D. Laert. VII. 128.

3) Stob. serm. 42. ed Gesn. p. 290. Cic. de nat. deor. I. 14.

4) D. Laert. VII. 88.

necessitatem rerum futurarum; ignem praeterea et aethera¹.
§. 3. Naturam rationem esse, mundumque ratione uti, Zeno sic probabat: Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil autem mundo melius. ratione igitur mundus utitur; idemque hoc modo: Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. mundi autem partes sentientes sunt. non igitur caret sensu mundus; pergit idem et urget angustius: Nihil, inquit, quod animi, quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem compotemque rationis. mundus autem generat animantes compotesque rationis. animans est igitur mundus composque rationis; idemque similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo: Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur, num dubitares, quin inesset in oliva tibicinis quaedam scientia? Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeris, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans, sapiensque judicetur, cum ex se procreet animantes atque sapientes?² §. 4. Rationem et homini et deo et mundo inesse Chrysippus probat. si enim, inquit, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius. atqui res coelestes, omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. id autem quid potius dixeris, quam deum? etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se putet, desipientis arrogantiae est. ergo est aliquid melius. est igitur profecto deus³. §. 5. Quibus propositis multisque aliis e disciplina Stoicorum praemissis Cicero e mente Stoicorum concludit: *Natura est igitur, quae contineat mundum omnem cumque teneatur, et ea quidem non sine sensu atque ratione. omnem enim*

1) Cic. de nat. deor. I. 15.

2) Cic. de nat. deor. II. 8.

3) Cic. de nat. deor. II. c. 6.

naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum; ut in homine mentem, in belua quiddam simile mentis, unde oriuntur rerum appetitus. in arborum autem et earum rerum, quae gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Graeci *ἡγεμονισμόν* vocant, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse praestantius. itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturae principatus, esse omnium optimum, omniumque rerum potestate dominatuque dignissimum¹. Sed mundus, pergit Cicero paulo post, quoniam omnia complexus est, nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? nihil autem est mente et ratione melius. ergo haec mundo deesse non possunt. Bene igitur idem *Chrysippus*, qui similitudines adjungens, omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equulo; in cane, quam in catulo; in viro, quam in puero: item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. est autem nihil mundo perfectius, nihil virtute melius. igitur mundi est propria virtus. nec vero hominis natura perfecta est, et efficitur tamen in homine virtus². §. 6. Zeno autem ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. censet enim artis maxime propriam esse, creare et gignere; quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quandam et sectam, quam sequatur. Ipsius vero mundi, qui omnia complexu suo coercet et continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex ab eodem Zenone dicitur, consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium. Atque ut ceterae naturae suis seminibus quaeque gignuntur, augescunt, continentur: sic natura mundi omnes motus habet voluntarios, conatusque,

1) Cic. de nat. deor. II. 11.

2) Cic. de nat. deor. II. 14.

et appetitiones, quas *ὄρμηδες* Graeci vocant, et his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmetipsi, qui animis movemur et sensibus. Talis igitur mens mundi cum sit, ob eamque causam vel prudentia vel providentia appellari recte possit — Graece enim *πρόνοια* dicitur — haec potissimum providet, et in his maxime occupata, primum, ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulchritudo sit, atque omnis ornatus ¹. §. 7. Quibus propositis Zenonis, Cleanthis et Chrysippi sententiis videmus, naturam, rationem et virtutem easdem esse, legem naturalem *deum* sive *rationem* sive *Jovem* vocari. quare is omne tulit punctum, qui naturae sive rationi sive legi naturali convenienter vixerit. Virtutem enim viri beati et *bonum fluxum vitae, quam εὖροιαν* vocant, in eo consistere Stoici putant, ut vivamus obediētes nostro proprio genio consentienti cum natura mundi, itaque tenenda esse sua cuique propria, ita ut contra universam naturam nihil contendamus; ea tamen conservata propriam naturam sequamur ². Naturae congruenter viventes legem naturalem sequimur. Lex enim, Chrysippus inquit, est *regina rerum divinarum et humanarum*. ita est praefectus, quem *προστέτην* vocat, omnium, quae sunt honesta et turpia, dux et gubernator. quare regula appellanda est, ad quam omnia, quae sunt justa et injusta, referantur; quare imperatrix vocanda est, quae omnibus animantibus, quae natura ad civilem communitatem conjungi et consociari possunt, imperat, quid faciendum aut rejiciendum. lex ita praecipiens, quae honesta expetenda et quae turpia vitanda, nobis dux est et rector ³. Quam legem qui conservat, justus, id est, *νόμιμος* sive *ἀσπιός* appellatur. vir probus enim vocatur is, qui legi paret atque exsequitur ejus mandata. nam exercitatio legum justitia appellatur ⁴. Quare hominem ad societatem justitiamque tuendam natum esse contendit *Chrysippus*, ut clypei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum

1) Cic. de nat. deor. II. 22.

2) D. Laert. VII. 88.

3) Schol. ad Hermog. cod. Monac. 123. fol. 171. Boeckh ad Pind. fragm. p. 641. Marcian. in dig. I. 3.

4) Stob. serm. 42. ed. Gesn. p. 290.

cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa, animantes autem hominum, ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem. ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti. praeclare idem Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine injuria; quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile jus intercederet; qui id conservaret, eum justum; qui migraret, injustum fore. sed, quemadmodum, theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit, sic in urbe mundove communi non adversatur jus, quo minus suum quidque cujusque sit. Cum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam, atque, ut e natura vivat, uxorem adjungere et velle ex ea liberos procreare ¹. Mundum enim, ut dixi, Stoici censent, regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unumquemque nostrum ejus mundi esse partem, ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quam unius alicujus, aut suae consulit. Nec magis vituperandus est proditor patriae, quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem. ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro republica, quod deceat, cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos ².

1) Cic. de nat. deor. II. 14. de fin. bon. III. 20. D. Laert. VII. 129.

2) Cic. de fin. III. c. 19.

C A P U T IX.

HONESTUM EST UTILE.

§. 1. Socrati assensi sunt Stoici, ut, *quidquid honestum esset, id utile esse censerent*, nec utile quidquam, quod non honestum ¹. Id quod bonum et honestum esset, appellabant fertile, quod utilitatem ferret; officiosum et justum, quod id esset, quod facere fas et justum esset; lucrosum, quod satis lucri ferret viro honesto proboque; utile, quo utentes emolumentum caperemus; commodum, ex quo fructum et commoditatem perciperemus; pulchrum, quod sibi consentaneum, aptum et commodum esset, sibi que concineret; fructuosum, quod prodesset fructusque praerberet; expetendum, quod solum dignum petitu esset; justum et aequum appellabant id, quod honestum, quod legibus consentiret, iisque pareret, et hominum societatem conciliaret ².

§. 2. Diogenes bonum definiit id, quod esset natura absolutum; id autem sequens illud etiam, quod prodesset — *ὠφέλημα* enim sic appellemus — motum aut statum esse dixit, natura absoluti ³. §. 3. Prodesse enim idem esse dicebant Stoici, ac virtutem perficere et exercere, nocere autem idem ac vitium habere et agere turpiter et inhoneste ⁴. Id autem, quod bonum esset et honestum, genere utile esse dicebant, specie autem, nihil aliud, quam utile ⁵. Sed, ut inter bona et indifferentia, ita inter *ὠφελήματα* et *εὐχρηστήματα* distinguebant. Ut vero conservetur omni homini erga hominem societas, conjunctio, caritas, et emolumenta et detrimenta, quae *ὠφελήματα* et *βλάμματα* appellant, communia esse voluerunt, quorum altera prosunt, nocent altera. nec solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. incommoda autem et commoda — ita *εὐχρηστήματα* et *δυσχρηστήματα* appello — communia esse voluerunt, paria noluerunt. illa enim, quae prosunt aut nocent,

1) Cic. de off. III. 3.

2) D. Laert. VII. 99.

3) Cic. de fin. bon. III. c. 10.

4) D. Laert. VII. 104.

5) D. Laert. VII. 94.

aut bona sunt, aut mala, quae sint paria necesse est. com-
moda autem aut incommoda in eo genere sunt, quae prae-
posita et rejecta dicimus. ea possunt paria non esse. sed
emolumenta communia esse dicuntur. recte autem facta et
peccata non habentur communia ¹. §. 4. Omnia igitur illa,
quae non sunt in bonis, non in utilibus numeranda sunt.
itaque *virtus sola bona et utilis, quod virtus solum bonum est*
et sola prodesse potest. virtutem autem sive bonum triplici
modo vocari bonum voluerunt, ex quo, a quo et per quod
utilitas conficitur et perficitur ². Utile esse dicebant, ex
quo sive $\acute{\upsilon}\varphi^{\circ}$ $\omicron\tilde{\upsilon}$ utilitas et fructus praebetur, quod est
bonum et honestum et virtus, quae est fons et finis bono-
rum; utile, a quo sive $\acute{\alpha}\varphi^{\circ}$ $\omicron\tilde{\upsilon}$ bonum efficitur, est homo
virtuosus, officiosus, honestus et pulcher, qui officiis rectis
fungendis utilitatem efficit, quare sapiens honorum et utilita-
tum efficiens appellatur; utile esse dicebant, per quod utilitas
et commoditas praebetur, ut virtutem et virum bonum ³.
§. 5. Eandem divisionem aliis verbis exprimunt Stoici, cum
bona in ad ultimum pertinentia, quae *τελικά* vocant, et in
efficientia, quae *ποιητικά* nominant, et in bona nec pertinentia
nec efficientia dividunt. de pertinentibus nihil est bonum
praeter actiones honestas; de efficientibus nihil praeter
amicum. sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt
esse. nam quia sapientia est conveniens actio, est illo perti-
nenti genere, quod dixi. quod autem honestas actiones
affert et efficit, ideo efficiens dici potest ⁴. Eodemque modo
et vitia sunt pertinentia, aut efficientia, aut utrumque; nam
omnia, quae sunt turpia, nocent et miseriam et mala effi-
ciunt ⁵. §. 6. Quibus divisionibus boni et mali consentit
illa Zenonis et Cleanthis et Chrysippi, omnia, quae sunt,
aut bona, aut mala esse, aut utrumque. omnia, quae bona
sunt, et honesta et utilia sunt, omnia, quae mala, inhonesta
sunt et nocent.

1) Cic. de fin. III. 21.

2) S. Emp. X. adv. mathem. Diog. Laert. VII. 94.

3) D. Laert. VII. 94. S. Emp. adv. math.

4) Cic. de fin. III. 16. D. Laert. VII. 96. 97.

5) Schol. ad Luc. bis accus. ed Reitz II. p. 815. sq.

C A P U T X.

BONUM ET MALUM. VIRTUS ET VITIUM.

§. 1. Zeno Cittieus in antiquam philosophiam se insinuavit; nam hujus sententiae gravitas, bonum esse solum, quod honestum, a Platonis auctoritate repetatur, apud quem saepe haec oratio usurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum. quae eadem sententia et Cleanthi et Chrysippo placuit ¹. §. 2. Sed cum Stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina sparsisset, et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset, accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui illos sectatus est et explicavit. sed a Stoicis, qui principes erant, Posidonius, Antipater, et discipulus Antipatri, Panaetius, degeneraverunt. Omnes enim Stoici consentiunt, congruenter convenienterque naturae vivere finem bonorum esse; ita Zeno et Chrysippus praecipiunt, ut legi naturali pareamus; nam lex communis sive lex naturalis sive ratio per omnem naturam rerum permanens, recta imperans prohibensque contraria, Jupiter omnium rerum gubernator et auctor, qui beatos efficit et bonum fluxum vitae praebet, si omnia ex concentu genii proprii cum voluntate naturae rerum perficiuntur. *qui enim, ut Chrysippo placet, et communem rerum naturam et suam sequitur, sapiens est, omnesque numeros habet; nam virtus est habitus, quem δικάθειον vocat, animi sibi concinnus et consentiens, propter se, nec metu, nec spe, nec alia re indifferenti expetendus, et beatitudo vitae tota consistit in virtute inhaerenti animae ad concinnitatem omnis vitae effectae. virtus igitur est perfectio* ². §. 3. Itaque Zeno in nulla re, nisi in virtute propensionem, ne minimi quidem momenti, ad solum bonum adipiscendum esse putavit, rationem gubernatricem propensionis et moderatricem cupidinis et voluptatis esse voluit; ideoque virtutem scientiam esse, naturaeque convenienter vivere idem esse ac vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent ³. §. 4. Omnes

1) Cic. Tusc. quaest. V. c. 11. III. 31. 32.

2) D. Laert. VII. 88. 89.

3) D. Laert. VII. 87. sq. Cic. de fin. IV. 6. 17.

igitur virtutes, quarum Zeno quatuor esse putavit, scientias esse dicit, ad quas natura ducimur ¹. Cleanthes vero secundum naturam vivere idem esse ac naturae communi convenienter, neque vero naturae singulorum congruenter vivere significare voluit. Chrysippus naturae convenienter vivere idem esse ac secundum experientiam eorum, quae natura evenirent, vivere, idque finem bonorum esse declaravit ². Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur, et scire negat quemquam rem ullam nisi sapientem; et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. nam, cum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum, inquebat, hujusmodi est. deinde, cum paillum digitos constrinxerat, assensus hujusmodi. tum, cum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem esse dicebat. ex qua similitudine etiam ei rei, quod ante non fuerat, *κατάληψιν* imposuit. cum autem laevam manum admoverat, et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat, cujus compotem nisi sapientem esse neminem ³. §. 5. *Visum*, quod *φαντασίαν* Zeno appellabat, a quadam quasi impulsione sensibus extrinsecus oblata efficitur. sed ad haec, quae visa sunt, et quasi accepta sensibus, *assensionem*, quam *συγκατάθεσιν* vocabat, adjungit, quam esse vult in nobis positam et voluntariam. Visis non omnibus adjungebat fidem, sed iis solum, quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur; id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile, sed, cum acceptum jam et approbatum esset, *comprehensionem*, Graece *κατάληψιν*, appellabat, similem iis rebus, quae manu prenderentur; ex quo etiam nomen hoc duxerat, cum eo verbo ante nemo tali in re usus esset. quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat, et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, *scientiam*, Graece *ἐπιστήμην*, sin aliter, inscientiam nominabat, ex qua existeret etiam opinio, quae esset imbecilla et cum falso incognitoque communis. sed inter scientiam et

1) D. Laert. VII. 87.

2) D. Laert. VII. 91.

3) Cic. acad. quaest. IV. 45. 47.

inscientiam comprehensionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. e quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod comprehensio facta sensibus et vera esse illi et fidelis videbatur, non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet, sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedissent, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur, e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae reperirentur. errorem autem et temeritatem et ignorantiam et opinionem et suspicionem et uno nomine omnia, quae essent aliena firmae et constantis assensionis a virtute sapientiaeque removebat ¹. §. 6. *Omnia igitur vitia falsae sunt opiniones, iudicio et opinione fiunt; virtutes vero scientiae sunt, quibus utimur natura et voluntate ducti — ἀγχι γὰρ πρὸς ταύτας ἡμᾶς ἢ φύσις*; natura enim omnes ea, quae bona esse videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. quam ob rem simul objecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. id, cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellemus *voluntatem*. eam illi in solo esse sapiente, quam sic definiunt: voluntas est, quae quid cum ratione desiderat. quae autem, ratione adversa, incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis invenitur ². §. 7. Itaque virtus brevissime recta ratio dici potest; hujus igitur virtutis contraria vitiositas, quam Graeci κακίαν appellant, ex qua concitantur perturbationes, quae sunt affectiones moventes, ut non possint affectionum manentium partes esse. perturbationes enim, qua definitione Zenonem usum scio, adversa ratione, contra naturam, animi commotiones, vel brevius, appetitus vehementiores; vehementior autem intelligatur appetitus, qui procul absit a naturae constantia ³. §. 8. Omnes virtutes Zeno putat esse scientias, omniaque vitia inscientias; omnes

1) Cic. acad. quaest. IV. 6. 11. 12. I. c. 11.

2) Cic. Tusc. quaest. IV. c. 6.

3) Cic. Tusc. quaest. IV. 21. 13. 14.

virtutes genere aequales et re semper easdem, et omnia vitia re aequalia. Quum virtus sit scientia, philosophia, ut est apud Plutarchum, omnes scientias continens omnes virtutes continet. sapientia enim est scientia rerum divinarum et humanarum. et quum tres partes philosophiae sint, virtutes sunt tres, scientia honeste agendi, acute disserendi et cognitio naturae. sapientia autem continet omnes scientias. §. 9. Sed in divisione virtutum Stoici dissident. nam a Posidonio quatuor virtutes, a Cleanthis discipulis, Chrysippo et Antipatro plures ponuntur, a Panaetio duo, ab aliis tres, ab Apollophane una ¹. §. 10. Apollophanes, quem Sextus Empiricus sequitur de omnibus loquens Stoicis, *solum virtutem prudentiam, quam φρόνησιν appellat*, esse putat. D. Laert. loc. cit. prudentiam enim scientiam esse bonorum et malorum utriusque, artemque esse vivendi, quam qui consecuti essent, solos pulchros, solos divites, solos sapientes esse dixit; eum enim, qui res magni pretii — πολλοῦ ἄξια — possideret, divitem esse; virtutem rem magni pretii esse, solumque sapientem eam possidere posse, ergo solum sapientem divitem esse. solumque pulchrum dignum esse, qui amaretur, solum autem sapientem dignum esse, qui amaretur, ergo solum sapientem pulchrum esse, putavit ². Prudentia solum bonum et sola virtus nominatur, imprudentia solum malum et solum vitium appellat Apollophanes ³. §. 11. Panaetius duas virtutes esse dixit, *theoreticam et practicam*, nec non quatuor partes honesti esse dixit. Cicero enim, qui in iis libris, qui de officiis inscribuntur, se correctione quadam adhibita Panaetium potissimum secutum esse dicit ⁴, hoc modo de honesto loquitur: Sed *omne, quod honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur, aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide, aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore, aut in omnium, quae fiunt, quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest*

1) D. Laert. VII. 92.

2) S. Empir. adv. math. XI. adv. eth. 170. 184. 246.

3) S. Emp. adv. math. ed. Fabr. p. 707.

4) cf. III. 2. II. 24. I. 2.

modestia et temperantia. Quae quattuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam (*σοφίαν*) et prudentiam (*φρόνησιν*) ponimus, inest indagatio atque inventio veri, *ἀρετὴ θεωρητικὴ* — ejusque virtutis hoc munus est proprium. Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur, — *ἀρετὴ πρακτικὴ* — ut et societas conjunctioque servetur et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo, quam Panaetius *ἐνταξίαν* nominat, et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est *actio* quaedam, non solum *mentis agitatio*. His enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus ¹. Panaetium duo genera virtutum posuisse videmus, quarum prima virtus theoretica, cui duo species subjectae sunt: *σοφία* et *φρόνησις*, altera est virtus practica, cui tres species subjectae sunt: *δικαιοσύνη*, *ἀνδρεία*, *σωφροσύνη*, de quibus partibus tribus latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continetur. cujus partes duae sunt: justitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur; et huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet ². Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quattuor, e quibus honestas officiumque maneret, splendidissimum videri, quod animo magno, elatoque, humanasque res despiciente factum sit. itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate ³. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum

1) Cic. de off. I. 5.

2) Cic. de off. I. c. 7.

3) Cic. de off. I. c. 18. 19.

modus cernitur. Hoc loco — (τόπω, partes philosophiae et virtutum Panaetius τόπους appellasse videtur, ut Apollodorus, quas easdem Chrysippus et Eudromus species, εἶδη, et alii genera, γένη¹⁾ continetur id, quod dici Latine decorum potest; Graece enim πρόπον dicitur²⁾. Quibus e rebus intelligitur, Panaetium duas virtutes et quattuor locos virtutum posuisse. §. 12. Simili modo *Hecaton* virtutes divisit, qui dicebat, unam in contemplatione et perspicentia veri consistere, quam θεωρηματικὴν appellavit, qua in parte prudentiam et justitiam numeravit; alteram partem virtutis abhorrere a contemplatione veri, quare eas ἀθεωρήτους vocavit. quarum in prima parte omnes virtutes numerabat, quae originem a cogitatione mentis (ἐχούσας τὴν σύστασιν ἐκ θεωρημάτων) et assensione rationis (συγκαταθέσεις) ducunt. in altera parte virtutis numerantur omnes virtutes, quae assensionem rationis non habent et ad virtutem accedunt (ἐπιγίνονται), et quae a virtutibus primi loci producuntur (τὰς κατὰ παρέχουσιν θεωρουμένας), ut sanitas et robor. nam moderationem, quam σωφροσύνην appellat, sequitur sanitas, ut structuram robustam fornacis robor comitatur. Virtutes prioris partis, quae in cognitione et perspicentia veri versatur, in sapientem cadunt, posterioris vero etiam insipientem comitari possunt³⁾. *Hecatonem* virtutes appellare et illas quattuor, quas Panaetius, et illa ἀδιάφορα, quae a Zenone, Cleanthe et Chrysippo in rebus indifferentibus numerantur. ita, quum virtutem, quam perfectionem (τελείωσιν), ut statucae, nominabat, sufficere ad beatitudinem diceret, et sanitatem et omnes res indifferentes, quas in virtutibus numerabat, bona esse dixit. §. 13. *Discipulos Chrysippi, Archedemum, Zenonem Tarsensem, Apollodorum, Diogenem et Posidonium* Ethicam locis de appetitu, de bonis et malis, de perturbationibus, de fine bonorum, de prima aestimatione, de actionibus, de officiis mediis, affixis exhortationibus tractavisse scimus, *Zenonem* et *Cleanthem* vero partitiones fecisse in locum logicum et physicum et ethicum

1) D. Laert. VII. 30.

2) Cic. de off. I. c. 27.

3) D. Laert. VII. 90. 91.

accepimus, et primos locum logicum et physicum ab ethico separavisse. ¹ qua ex causa Zenonem et Cleanthem *tres locos de moribus* distinxisse, et tres virtutes, quarum una *logica*, altera *physica*, tertia *ethica*, posuisse concludimus, et Zenoni et Cleanthi has definitiones, quas Plutarchus de placitis philosophorum omnibus Stoicis tribuit, attribuimus. sapientiam dicunt scientiam esse rerum divinarum et humanarum, philosophiam exercitationem artis necessariae esse; necessariam autem unam solam artem, virtutem esse, cui tres virtutes subjectas esse, physicam, ethicam et logicam.

§. 14. Quum Zeno et Cleanthes nihil bonum esse praeter virtutem dicerent, et scientiam naturae et artem disserendi et cogitandi in virtutibus numeravit. sed *Zenonem, Cleanthem, Chrysippum, Panaetium et Posidonium* quattuor virtutes, *prudentiam, fortitudinem, justitiam et temperantiam* posuisse constat, quamvis sciamus, Zenonem et Cleanthem virtutes illas tres partes totius philosophiae appellasse, et Chrysippum, Archedemum, Zenonem Tarsensem, Apollodorum, Diogenem, Antipatrum et Posidonium pluribus locis, quos *τόπους* vocant, de virtutibus disserruisse ².

C A P U T XI.

OFFICIUM PERFECTUM, QUOD
ΚΑΤΟΡΘΩΜΑ VOCANT.

§. 1. Alter locus dissensionis est ille de officiis, quum alii et bona externa in virtutibus numerarent. Zenonem *κατόρθωμα* et *καθήκον* distinxisse scimus. Illud officium, quod rectum sive *κατόρθωμα* Zeno appellat, perfectum atque absolutum est, et omnes habet numeros, nec praeter sapientem cadere in quemquam potest³; sola enim sapientia in se tota conversa est⁴; quod idem in ceteris artibus non

1) D. Laert. VII. 84.

2) D. Laert. VII. 84. 92.

3) Cic. de off. III. 3.

4) Cic. de fin. III. 7.

fit. Inscite autem medicinae et gubernatoris ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et justitiam, et ut omnia, quae homini accidant, infra se esse judicet, quod idem in ceteris artibus non contingit. Tenere autem eas ipsas, quarum modo mentionem feci, nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse, quod intersit, aut differat aliud ab alio, praeter honesta et turpia. et quemadmodum opportunitas (sic enim *ἐνκαιρίαν* appellemus) non fit major productione temporis, sic recta effectio (*κατόρθωσις* enim ita appello, quoniam recte factum *κατόρθωμα*), recta igitur effectio item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. Ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora, ob eamque causam Stoicis non videtur optabilior, nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis¹.

§. 2. *Illia officia recta sive perfecta, quae κατόρθώματα appellabantur, sola expetenda, continguntque sapienti soli; omnia alia portenta sunt, ut Zeno; differre enim inter honestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse censuerunt Zeno, Cleanthes et Chrysippus*².

§. 3. *Quare omnia, quae sunt, aut bona, aut mala, aut utrumque esse dixerunt, bona esse virtutes: prudentia, justitia, fortitudo et moderantia aliaque; vitia contraria imprudentia, injustitia et alia; utrumque est, quod neque prodest neque nocet, ut vita, sanitas, voluptas, venustas, robur, opes, gloria, nobilitas, et quod est contrarium, ut mors, morbus, labor, turpitudine corporis, infirmitas, inopia, ingloria, ignobilitas et alia similia. nam id, quod est utrumque non numeratur in bonis, sed in indifferenti, quod κατ' εἶδος productum est, ut Hecaton, Apollodoro et Chrysippo placet. nam ut caloris est calefacere, non refrigerare, ita est boni prodesse, nec vero nocere; opes autem, valitudo et prosunt et nocent, ergo nec opes, nec valitudo in bonis sunt. et, ut alii, quibus rebus bene et male uti possumus, non sunt in bonis, opibus et sanitate bene et*

1) Cic. de fin. III. c. 14.

2) Cic. de fin. IV. 7. 25. 26. 56. D. Laertius.

male uti, possumus, ergo non sunt in bonis; ergo opes et validudo non sunt in bonis. Quam partitionem bonorum et officii Zenonem, Cleanthem et Chrysippum tenuisse scimus, Panaetium et Posidonium illa officia media, quae a Zenone nec in bonis nec in malis numerantur, servanda et in bonis numeranda esse censuisse constat ¹. §. 4. *Hecatonem etiam Rhodium, discipulum Panaetii, qui et officia media in virtutibus numerabat*, quamvis ut Chrysippus voluptatem aspernaretur, quum turpes esse possent, video in iis libris, quos de officio scripsit, Q. Tuberoni dicere, sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris ². §. 5. Divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad validudinem bonam, sed etiam, ut ea contineant; non idem facere eas in virtute, neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest. itaque si voluptas, aut si bona validudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas ³. Qua ex causa Panaetium et Posidonium et Diogenem et opes et bonam validudinem et voluptatem in bonis numerant, nec non Hecato, quamvis voluptatem aspernaretur; §. 6. *Zeno, Cleanthes et Chrysippus omnia, quae indifferentia sunt, neque in bonis, neque in malis ponunt; voluptates ἐπιγένηνα honestatis esse dixit Zeno, beatumque iis frui; nam magna voce dicere solebat, eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur, consideretque se fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitae, dolore non interveniente, aut si interveniret, si summus foret, futurum brevem, si productior, plus habiturum jucundi quam mali; haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec deos extimesceret* ⁴. Accessiones enim appellabant gaudium, laetitiam et voluptatem, vel moerorem et tristitiam ⁵. §. 7. Dissidentes a principibus Stoicorum illi, qui et opes et bonam

1) Cic. de offic. I. III. D. Laert. VII. 103.

2) Cic. de offic. III. 15.

3) Cic. de fin. bon. III. c. 15.

4) Cic. Tusc. quaest. III. 17.

5) D. Laert. VII. 94. 95. Cicero.

valitudinem et voluptates in bonis numerarent, et bona interna, quae *περὶ ψυχὴν* vocabant, et bona externa, quae *ἐκτὸς* appellabant, et nec interna nec externa esse duxerunt. in bonis internis virtutes et bonas actiones, in bonis externis patriam habere bonam et felicem, amicum habere bonum, nec in bonis nec in malis sibi prodesse et se beatum reddere; quibus bonis et mala interna, ut vitia et actiones malas, et externa, ut stultam habere patriam, insipientem amicum, nec interna nec externa mala esse sibi nocere et se ipse reddere infelicem ¹. §. 8. Sed et Academici et Peripatetici tria genera bonorum esse dixerunt, maxima in anima, in anima enim esse virtutes, secunda in corpore, ut sanitatem, integritatem sensuum et membrorum, venustatem et quidquid est ejusmodi; neque in corpore neque in animo esse opes, patriam, parentes, liberos et amicos. §. 9. Stoici et ipsi tria bonorum genera esse dixerunt, neque vero eodem modo, sed illa bona externa, quas in corpore ponunt, Stoicorum principes non in bonis esse censuerunt, ita ut in bonis internis virtutes et bonas actiones, in bonis externis amicum et virum probum, bonos liberos et parentes aliaque, in iis autem, quae nec interna nec externa essent, virum honestum sibi viventem, qui nec in internis nec in externis numerandus esset, quum ex anima et corpore constaret, posuisse constat ². Bona interna, sive animi, ab ipsis Stoicis in habitus, quos *ἕξεις* appellant, ut studia sive *ἐπιτηδεύματα*, et in affectiones, quas *διαθέσεις* vocant, ut virtutes, et in ea bona interna, quae nec habitus nec affectiones sunt, ut artes, quae *ἐνέργειαι* appellantur ³. §. 10. Alia divisio bonorum est illa, quae alia bona mixta, ut bona proles, quieta senectus, alia simplicia, ut scientia. alia divisio bonorum est illa, quae bona sempiterna, ut virtutes, et bona non diuturna, ut gaudium, deambulationem esse vult ⁴. §. 11. Quae divisiones omnes eorum sunt,

1) D. Laertius.

2) S. Emp. XI. adv. eth. 45. sq. ed. Fab. p. 699. Pyrrh. III. c. 23. p. 171. Schol. ad Luc. his accus. ed. Reitz. Cic. de fin. bon. III. 11. 12. V.

3) D. Laert. VII. 98.

4) D. Laert. VII. 98. Schol. ad Luc.

qui et indifferentia in bonis habent, ut Panaetii, Posidonii vel Diogenis. Male sibi consentit Panaetius, qui virtutem propterea colendam esse dicebat, quod ea efficiens utilitatis esset, et qui id solum bonum iudicat, quod honestum sit; quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem. non videtur ejusmodi debuisse deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum esset, comparetur. Panaetius enim, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno, cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe; altero, utilene an inutile; tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret, de duobus generibus primis tribus libris explicavit; de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum, nec absolvit, quod promiserat. quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo ejus Posidonio est, triginta annis vixisse Panaetium, posteaquam eos libros edidisset. Quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis; praesertim cum scribat, nullum esse locum, in tota philosophia tam necessarium ¹. §. 12. Omnes Stoici eodem modo male sibi consentiunt, quibus, quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum; qui iidem opes, bonam valitudinem, voluptates in bonis ponant, et illa officia media, quae Zenoni indifferentia, ad beatam vitam aliquid tribuere dicant. Expositis differentiis Stoicorum de bono et honesto, virtutes, quas officio perfecto subjiciunt, explicabo.

1) Cic. de offic. III. 2. 3.

CAPUT XII.

SAPIENTIA, ΣΟΦΙΑ.

§. 1. *Sapientiam rerum divinarum et humanarum scientiam esse, omnes Stoici consentiunt* ¹. Sapientiam omnes virtutes continere, eumque, qui eam possideret sapientem et beatum et omnibus numeris absolutum esse censuit: Sapiens omnes virtutes habet, et logicas et ethicas, et physicas. quare sapiens est sacerdos, qui sacrificiorum et officiorum peritissimus sit; vates, qui voluntatem deorum et daemonum cognoscat; non opinatur, sed scit, qui omnes scientias habeat; optimus est oeconomus, optimus medicus, juris peritissimus; sapiens omnes virtutes exercet, est severus, abstinens, non inebriatur, religiosus, peccare nequit, innocuus est, amicus est, omnia juste et bene facit, animi magnitudinem, fortitudinem et constantiam possidet, non mentitur, nec fallit nec fallitur, mansuetus, tranquillus et modestus est, non est rusticus, non superbus, non ingratus, non improbus est ². §. 2. Quum Zenoni placeret, scientiam virtutem, eumque, in quem caderet, esse scientem et sapientem, inscitiam autem vitium, eumque, qui inscitiam possideret, stultum esse et insanire. Quum diceret Zeno, virtutem solam beatum efficere, concludebat: quod honestum esset, id solum bonum esse; in quo virtus esset, ei nihil deesse ad beate vivendum, aequalia esse peccata, et aequalia recte facta, omnes stultos insanire, solos sapientes esse liberos, omnes stultos servos, solos sapientes esse divites, reges, iudices, oratores et omnibus numeris absolutos; sapientes esse, nihil, quod poenitere posset, facere, nihil invitum; splendide, constanter, graviter, honeste omnia; nihil ita exspectare quasi certo futurum; nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur; omnia ad suum arbitrium referre; suis stare iudiciis; sapientem beatum esse dicunt, quod ita concludunt: qui cum finem bonorum esse senserint congruere naturae cumque

1) Plut. de plac. phil. prooem. Cicero de officiis I.

2) Stobae. ecl. eth. D. Laertus.

ea convenienter vivere; cum id sit in sapiente situm, non officio solum, verum etiam potestate — sequatur necesse est, ut, cujus in potestate summum bonum, in ejusdem vita beata sit. Ita fit semper vita beata sapientis. — §. 3. Quae, quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium, a Stoicis παράδοξα appellantur; maxime videntur esse Socratica, longaeque verissima ¹.

C A P U T XIII.

QUATUOR VIRTUTES.

§. 1. *Bona sunt quatuor virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, quas φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, σωφροσύνην vocant, et eae, qui has sequuntur; mala sunt bonis contraria, imprudentia, injustitia, temeritas aut timiditas, intemperantia; nec bona nec mala sunt, quae nec prosunt nec nocent, ut vita, bona validudo, gaudium, venustas, robur, opes, gloria, nobilitas et ea, quae his sunt contraria. Haec est mera Zenonis, Cleanthis et Chrysippi sententia. Omnes virtutes, ut Zeno, scientiae sunt, ad quas natura ducimur, omnia vitia inscitiae ². Quae scientia sit, jam dictum est. ad definitiones virtutum, quarum genere quatuor, specie plures ponuntur, progrediamur ³. §. 2. *Prudentia est scientia bonorum et malorum utriusque.* §. 3. *Fortitudo est scientia pro aequitate propugnans, ut Panaetius definiisse videtur, sive affectio animi legi summae in perpetendis rebus obtemperans, sive conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis sive scientia rerum formidolosarum contrariarumque perferendarum, aut omnino negligendarum, conservans earum rerum stabile iudicium, ut Sphaerus, vel brevius, ut Chrysippus, fortitudo est scientia perferendarum rerum, vel**

1) D. Laert. VII. 119. sq. Stob. in ecl. eth. Ciceronis parad. de finib. bon. V. 28. Tusc. quaest. III. 4. 5. 9. 10.

2) D. Laert. VII. 87. 92. 102.

3) Cic. de fin. bon. III. 11. de offic. I. 5.

affectio animi in patiendo ac perferendo, summae legi parens sine timore. §. 4. *Justitia est scientia rerum expetendarum et fugiendarum et nec expetendarum nec fugiendarum.* §. 5. *Temperantia est scientia, qua appetitiones animi regantur et contineantur, cum intemperantia, quam Stoici omnium perturbationum fontem esse dicunt, inscitia est aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant, sive a tota mente et a recta ratione defectio. Frugalitas sive temperantia tres virtutes est complexa, justitiam, fortitudinem et prudentiam; etsi hoc quidem commune est virtutum; omnes enim inter se nexae et jugatae sunt; neque vero minus prudentia continet omnes virtutes efficitque sapientem¹. §. 6. Quibus a quattuor fontibus et locis, in quibus genera virtutum continentur, oriuntur, ut magnitudo animi, *continentia, tolerantia, mentis agitatio, consultatio*, aliaeque virtutes, sed ita, ut in generibus omnes species contineantur². Quae quattuor quamquam inter se colligatae atque implicatae sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur: velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua Zeno prudentiam, Panaetius sapientiam et prudentiam ponit, inest indagatio atque inventio veri. Indagatio veri, quam Stoici *ἀγγίνοισιν* vocant, est agitatio mentis vel cogitatio motusque animi vel habitus, quem *ἔξις* Stoici vocant, inveniendi officii in omnibus conditionibus vitae. Inventio veri sive consultatio mentis, quam *εὐβουλίαν* Stoici appellant, est scientia capiendi consilii de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum³. §. 7. *Justitiae* subjicit Panaetius *beneficentiam* et *liberalitatem*, at benignitatem in sapientem cadere negant Stoici; sapientem enim contra legem et justitiam non liberalem et beneficum se praebere oportere⁴. §. 8. *Fortitudini*, quam virtutem esse dicit Panaetius propugnantem pro aequitate, *magnitudinem animi* subjicit, quam duabus rebus cerni, quarum unam in rerum externarum despicientia poni, alteram res*

1) D. Laert. VII. 92. S. Emp. adv. eth. p. 707. 721. Cic. Tusc. quaest. III. 8. IV. 9. 24.

2) D. Laert. I. c.

3) D. Laert. VII. 93. Cic. de off. I. 6.

4) Laert. VII. 123. Stob. Cic. de offic. I. 14.

gerere magnas, maxime utiles, sed vehementer arduas ple-
nasque laborum et periculorum, tum vitae, tum multarum
aliarum rerum, quae ad vitam pertineant ¹. *Animi magnitudo*,
quam *μεγαλοψυχίαν* Stoici vocant, est scientia sive habitus
animi, qui neque a bonis neque a malis rebus vincatur,
neque a labore neque a voluptate frangatur, sed omnia
infra se posita esse iudicet ². §. 9. In illa autem parte
honestatis, quam Stoici *σωφροσύνην* vocant, Panaetius
verecundiam et modestiam omnemque sedationem perturbationum
animi et rerum modum, ordinem rerum et temporum opportuni-
tatem et modestiam ponit ³. Modestiam sive ordinis conser-
vationem, quam Stoici *ἐταξίαν* appellant, sic definiunt
iidem, ut modestia sit scientia earum rerum, quae agentur
aut dicentur, loco suo collocandarum. Ordinem sic definiunt
Stoici, compositionem rerum aptis et accomodatis locis.
locum autem actionis, opportunitatem temporis esse dicunt.
tempus autem actionis opportunum, Graece *ἐδκαιρία*, Latine
appellatur occasio. sic fit, ut *modestia haec*, quam ita inter-
pretamur, ut dixi, *scientia sit opportunitatis idoneorum ad*
agendum temporum. sed potest eadem esse prudentiae defi-
nitio ⁴, quam definiunt, rerum expetendarum fugiendarumque
scientiam esse ⁵. *Verecundia*, quam Stoici *αἰδημοσύνην* vocant,
est scientia probri vitandi ⁶. *Abstinentiam*, quam *ἐγκράτειαν*
Stoici vocant, habitum esse dicunt invictum a voluptate.
Continentiam, quam eandem *ἐγκράτειαν* nominabant, affectio-
nem animi esse, qua recta ratio evelli non possit ⁷. *Con-*
stantiam, quam *καρτερίαν* vocant, scientiam vel habitum
esse dixerunt eorum, quae retinenda, quae repudianda et
quae nec retinenda nec rejicienda sunt, sive scientiam in
recto iudicio persistentem ⁸. *Confidentiam*, quae *θαρόαλιότης*
dicitur, scientiam esse definiunt, qua confidimus nobis nullam

1) Cic. de off. I. 20.

2) D. Laert. VII. 93.

3) Cic. de off. I. 27. 40.

4) Cic. de off. I. c. 40.

5) Cic. I. c. 43.

6) Stobae. ecl. eth.

7) D. Laert. VII. 93. Stobae. ecl. ethic.

8) D. Laertius I. c. Stobaeus I. c.

rem ex inopinato eventuram esse ¹. §. 10. Id, quod Latine *decorum* dicitur, tribus modis Stoici definiabant. Decorum generale, quod Stoici *πρέπον* vocant, sic fere defini solet: Decorum id esse, quod consentaneum sit excellentiae, in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. quae autem pars subjecta generi est, eam sic definiunt, ut id *decorum* esse velint, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie liberali ². *Decorum, quod κοσμιότης nominatur*, scientiam esse dicunt, quae in corporis motu et statu, in omnibus factis et dictis cernitur, scientiam motuum honestorum et turpium; quod decorum, ut Panaetio placuisse videtur, positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto ³. §. 11. Panaetius, ut Zeno, Cleanthes aliique Stoicorum, easdem quattuor virtutes posuit, quod apud Ciceronem videmus. omnis honestas, inquit, manat a partibus quattuor, quarum *una cognitionis, altera (εὐχοινωνησία) communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis*. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio, de duobus honestis utrum honestius, qui locus a Panaetio est praetermissus ⁴. Panaetius, ut alio loco Cicero, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno, cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur an turpe; altero, utilene an inutile; tertio, si id, quod speciem habet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret, de duobus generibus primis, tribus libris explicavit; de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum, nec absolvit, quod promiserat. Miror Panaetium de collisione officiorum se dicturum promisisse, cum Stoici, ab honesto honestum non differre, omnesque virtutes omnes continere virtutes, nihil utile et bonum nisi honestum esse dicerent.

1) Stob.

2) Cic. de off. I. 27.

3) Cic. de off. I. 35. Stob. ecl. ethic.

4) Cic. de officiis I. 43.

CAPUT XIV.

OFFICIUM MEDIUM. ΚΑΘΗΚΟΝ.

§. 1. Medium officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit ¹. Officium medium Zeno καθήκον appellavit ἀπὸ τοῦ κατὰ τινας ἤκειν, factumque esse dixit naturae congruens, sed id neque in bonis neque in malis posuit, quum a hominibus productum (προαχθέν) esset; atque id quod productum esset, tale esse, ut, cur factum esset, ratio probabilis reddi posset — εὐλόγον τε ἴσχει λόγον. et in plantis et in animalibus concentum aequabilitatem vitae perspici dixit, qua ex causa et plantas et animantes officiiis mediis fungi putavit ². Namque etiam in bestiis vis naturae inspicitur potest, quarum in foetu et educatione laborem cum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire. quare, ut perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere, sic apparet, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli. Ex hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. ut enim in membris alia sunt tanquam sibi nata, ut oculi, ut aures, aliqua etiam ceterorum membrorum usum adjuvant, ut crura, ut manus. sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt: at illa, quae in concha patula pinna dicitur, isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodiat, pinnoleres vocatur, in eamque cum se recipit, includitur, ut videatur monuisse, ut caveret; itemque formicae, apes, ciconiae, aliorum etiam causa quaedam faciunt. multo magis haec conjunctio est hominis. itaque natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates ³. Quamvis enim animalia rationis impertes essent, tamen iis prudentiam et iustitiam et moderationem quandam inesse Cleanthes dixit, ut in actionibus formicarum aliorumque animalium cerni posset ⁴. Chrysippus et Cleanthes multa disseruerunt de

1) Cic. de off. I. c. 3.

2) D. Laert. VII. 107.

3) Cic. de fin. III. 19.

4) Plut. de solert. animal. c. 11.

solertia, de prudentia, de ratione quadam vivendi, de moderatione animalium. quare iis rationis simile quiddam tribuerunt. Omne animal, simulatque natum est, ipsum sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum et ad suum statum et ad ea, quae conservantia sunt eius status, diligenda; alienari autem ab interitu, iisque rebus, quae interitum videantur afferre ¹. Ex quo intelligitur, quoniam omnes animantes se ipsos natura diligunt, tam insipientem, quam sapientem sumturum, quae secundum naturam sint, rejecturumque contraria. Ita est illud officium medium quoddam commune officium sapientis et insipientis et animalium ².

§. 2. *Officia media*, quae et *communia* vocantur, et in *sapientes* et in *insipientes* et in *animalia* cadere possunt. Quum omnia, quae cum appetitione, quae *ὄρμη* Graece vocatur, fiunt, modo et ratione et forma quadam agi videamus, *omnibus animantibus ratio quaedam vivendi et ratiocinandi data est*. quare Chrysippus et *logicam quandam animalium* esse dixit.

§. 3. Omnia autem, quae fiunt, aut secundum officium medium sunt, aut contra. officia media sunt facta, quae ut faciamus, ratio suadet, ut diligere parentes, fratres, patriam, amicis se praestare amicum. contra officia media sunt: negligere parentes, desplicere cognatos, amicis se non praestare amicum, odisse patriam. nec secundum officia media, nec contra sunt ea, quae ut faciamus ratio nec impellit nec vetat, ut festucam tollere, tenere stylum, strigilem. Officia media appellantur officia necessaria, quae *περιστά- τικὰ* vocantur, et non necessaria. officia media necessaria sunt mutilare se ipsum, muneribus naturae fungi. officia media non necessaria sunt: curare valitudinem et integritatem sensuum. Pari modo illa officia aut perpetuo obligantia dicuntur, ut naturae congruenter vivere, aut non, ut interrogare, respondere, ambulare ³. §. 4. Officia media, Zeno voluit producta esse, et in animalia, et in stultos et in sapientes cadere. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus solis, neque a

1) Cic. de fin. III. 5.

2) Cic. de fin. bon. III. c. 18.

3) D. Laert. VII. 108. 109.

virtute divelli unquam potest; in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo similitudines honesti esse possunt. Ea enim omnia officia, de quibus tertio libro de officiis disputavit Cicero, media Stoici appellant; ea communia sunt et tale patent; quae et ingenii bonitate multi assequuntur et progressionem discendi; illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet, nec praeter sapientem cadere in quemquam potest. Haec autem officia media quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia, itaque his omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur¹. Cum autem productum esse officium medium diximus, explicemus necesse est, quid sit id, quod Zeno productum vocat.

C A P U T X V.

INDIFFERENTIA. PRODUCTA.

§. 1. *Media illa officia, Zeno inquit, inter quae nihil interest, tamen ejusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia rejicienda, alia omnino negligenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. Ista, quae Aristoteles bona esse dixit, valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece προηγημένα, Latine autem producta, sed praeposita aut praecipua malo. Illa autem, quae Aristoteles mala esse dicit, egestatem, morbum, dolorem, non appello mala, sed, si libet, rejectanea. itaque illa non dico me expetere, sed legere, nec optare, sed sumere: contraria autem non fugere, sed quasi secernere². Ita Cicero Zenonem loquentem inducit. bene. nam Zeno omnia aut bona aut mala aut nec bona nec mala esse dixit, in iis autem, quae nec bona nec mala esse putavit et indifferentia no-*

1) Cic. de offic. III. 3. 4.

2) Cic. de fin. bon. IV. 25. 26.

minavit, alia producta alia rejecta sunt. officium medium autem secundum illa producta vivere vocavit. §. 2. Ita, cum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, et id malum, quod turpe, tum inter illa, quae nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen, quo differrent, esse voluerunt Stoici, ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum. Quae autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse causae, quamobrem quibusdam anteponebantur, ut in valitudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriae, divitiarum, similibus rerum; alia autem non esse ejusmodi, itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quamobrem rejicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum, partim non. Itemque hinc esse illud ortum, quod Zeno προηγμένον, contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis. Ut enim, inquit Zeno, nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est προηγμένον) sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum: sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, προηγμένα, id est, producta nominentur, quae vel ita appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota et remota, vel, ut dudum diximus, praeposita vel praecipua et illa rejecta, re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est, nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum nominamus. itaque ita definimus, quod sit indifferens, cum aestimatione mediocri. quod enim illi ἀδιάφορος dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem ¹. §. 3. Producta apud Zenonem igitur ea sunt, quae homines cogitatione, opinione et aestimatione produxerunt, quae autem re vera nec bona nec mala sunt, sed, ut Democrito placuit, quem Zeno secutus esse videtur, νόμῳ vel lege aut bona aut mala habentur, sed nec bona nec mala sunt, sed indifferentia. §. 4. Vario

1) Cic. de fin. III. 16.

modo Stoici ἀδιάφορα vocabant, uno, indifferentia esse dicentes, quae nec ad vitam beatam nec ad miseram aliquid attribuerent, ut opes, bona valitudo, vires, gloria et similia horum. nam etsi desint illa ἀδιάφορα, beati esse possumus, quum bonus aut malus usus felicem aut miseram vitam reddit; altero modo vocant ἀδιάφορα, quae neque cupiditatem neque odium efficiunt, ut numerus capillorum capitis; illa indifferentia priora aut odium aut cupiditatem movent, quare alia eorum eligimus, alia rejicimus. §. 5. Itaque Stoici indifferentia vocabant, in quibus quid aestimatione dignum inesse videretur, προηγμένα; ea autem, quae nulla aestimatione digna essent, ἀποπροηγμένα vocabant. Aestimatio autem, quae ἀξία dicitur, permutatio est opinionum, quo pretio rei peritus commutat, quod fit nullo alio modo, quam ut hordeum tritico et mulo commutamus. §. 6. Producta igitur vocantur ea, quae aestimatione digna, ut in animo indoles, ars, virtus acquisita, in corpore vita, sanitas, vires, integritas sensuum et membrorum, venustas; eorum autem, quae nec in animo nec in corpore sunt, divitiae, gloria, nobilitas et similia horum. rejecta autem sunt in animo prava indoles, inertia, in corpore mors, morbus, imbecillitas, sensuum et membrorum amissio, turpitude; eorum, quae neque in animo neque in corpore: paupertas, ignominia, ignobilitas aliaque; quae neutra sunt, nec producta nec rejecta sunt ¹. §. 7. Alia divisio praepositorum est ea, quae praeposita partim per se ipsa praeposita esse putat, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque; per se ut quidam habitus oris et vultus, ut status, ut motus, in quibus sunt et praeponenda quaedam et rejicienda; alia ob eam rem praeposita dicuntur, quod ex se aliquid efficiant, ut pecunia; alia autem ob utramque rem, ut integri sensus, ut bona valitudo ². §. 8. Posteriores Stoicorum parum sibi constant, qui ex productis aut opes, aut valitudinem aut voluptatem, aut bonam famam in bonis numerant, et sumenda esse dicunt, qui iidem nullum bonum

1) D. Laert. VII. 105. 106. S. Emp. adv. math. XI. 3—21. p. 692. Schol. ad Luc. bis accus.

2) D. Laert. VII. 107. Cic. de fin. III. c. 17.

esse censeant nisi honestum. De bona fama, quam appellant *εὐδοξίαν*, Chrysippus quidem et Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem ejus causa porrigendum esse dicebant. qui autem post eos fuerunt, cum Carneadem sustinere non possent, hanc bonam famam ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt, esseque hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter eam ipsam, non propter usum, dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiam si postumi futuri sint, propter ipsos; sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum¹. §. 9. Zenonem, Cleanthem et Chrysippum in omnibus placitis bene sibi constare videmus, qui naturae congruenter vivere vel rationi convenienter finem bonorum haberent, qui nullum bonum esse ducerent nisi honestum, qui virtutem solam expetendam esse dicerent, qui indifferencia nec in bonis nec in malis habenda, non propter se expetenda esse censerent, quum posteriores nullum bonum nisi honestum putarent, dicerentque aut opes aut bonam valitudinem aut bonam famam aut gloriam aut voluptates in bonis numeranda esse.

CAPUT XVI.

DE ANIMA.

§. 1. Anima a Zenone dividitur in tres, nunc in quinque et in sex a Panaetio, in septem a Sorano; etiam in octo apud Chrysippum; etiam in novem apud Apollophanem, sed et in decem apud quosdam Stoicorum, et in duas amplius apud Posidonium, qui a duobus exorsus titulis, principali, quod ajunt *ἡγεμονικόν*, et a rationali, quod ajunt *λογικόν*, in duodecim proinde prosecuit². Illae octo partes, quas Zeno et Chrysippus in anima esse voluerunt, sunt 1. *ἡγεμονικόν*, quinque sensus, 7. *φωνητικόν*,

1) Cic. de fin. III. c. 17.

2) Tertull. de anim. c. 14.

8. *γεννητικόν* ¹. Quum autem Stoici illos quinque sensus hominis in *ἡγεμονικῶ* esse assererent ², illae tres partes animae, quas Tertullianus Zenoni attribuet, sunt 1. *ἡγεμονικόν*, 2. *φωνητικόν*, 3. *γεννητικόν*. Sensus enim, quem Stoici *αἰσθησι* appellant, est perceptio, quam illi *ἀντίληψιν* vocant, earum rerum, vi sentiendi comprehendere possumus, sive comprehensio, quam *κατάληψιν* illi vocant, vel id ipsum *ἡγεμονικόν*, e quo et habitus et vis et perspicuitas, quae Graece *ἐνέργεια* dicitur, emanant ³. Sensus enim est spiritus ab illo *ἡγεμονικῶ* et in quinque instrumenta sentiendi permanens, atque etiam, ut Stoicis placet, animi vis et perspicuitas et perceptio et comprehensio et quinque sensus ⁴. §. 2. Zenoni igitur, nec non ceteris Stoicis, cogitatio in toto corpore existere videbatur, et, cum Stoicis, sensum vim cogitandi esse, placeret, minime, vim cogitandi, ut apud Laertium in illis octo partibus animae contineri, censuerunt. Nam, simul ac homo genitus est, habet illum principatum, quod τὸ *ἡγεμονικόν μέρος* Zeno appellat, quod originem vitae sive rationis esse censuerunt Stoici, quo anima ut charta papyrea utitur ad scribendum, in quam omnes notitias rerum ut *ἐννοίας* appello, scribit, quae primae menti imprimuntur a rebus externis, quarum, rebus absentibus, mens recordatur. §. 3. *Experientiam* magnam multitudinem similium notitiarum collectarum nominant, quarum aliae naturales, quae *προλήψεις* appellantur, aliae discendo vel cogitando acceptae, quae etiam *ἐννοιαί* vocantur. Ratio, quam *λόγον* appellant, e notitiis naturalibus completur ⁵. §. 4. Quibus a fontibus oritur sapientia, nec non insipientia, virtus et vitium. §. 5. Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt *intemperantiam*, quae ipsa a principatu proficiscitur, quae est a tota mente et a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo *appetitiones animi nec regi nec contineri*

1) Nemesius de nat. hominis, Plut. placit. phil. IV. δ; D. Laert. VII. 110. 157. Suidas.

2) Plut. loc. c. IV. *αγ*.

3) Plut. pl. phil. IV. *ή*.

4) D. Laert. VII. 52.

5) Plut. plac. phil. IV. *ιά*.

queant. quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eae rectae rationi pareant; conservatque considerata judicia mentis: sic huic inimica *intemperantia omnem animi statum inflamat, conturbat, incitat. itaque et aegritudines et metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea.* Quemadmodum, cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur, sic pravaram opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantium, sanitate spoliatur animum, morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem *morbi* conficiuntur, quae vocant illi *νοσήματα*, eaque, quae sunt eis contraria; quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium; deinde, *aegrotationes*, quae appellantur a Stoicis *ἀρρώσθηματα*, hisque item oppositae contrariae offensiones. Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo¹. §. 6. *Omnes autem perturbationes iudicio censent fieri et opinione.* est igitur Zenonis haec definitio, ut *perturbatio* sit, quod *πάθος* ille dicit, aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio², vel brevius, ut *perturbatio* sit appetitus vehementior; vehementior autem intelligatur is, qui procul absit a naturae constantia³; *partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci et ex duobus opinatis malis*; ita esse quattuor. *ex bonis libidinem et laetitiam*, ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum. *ex malis metum et aegritudinem nasci censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus.* quae enim venientia metuuntur, eadem officunt aegritudine instantia. Laetitia autem et libido in bonorum opinione versantur, cum libido ad id, quod videtur bonum, injecta et inflammata rapiatur; laetitia, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur et gestiat. natura enim omnes ea, quae bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria⁴. *Opinationem imbecillam assensionem esse volunt, omnesque perturbationes opinione et iudicio fieri; itaque*

1) Cic. Tusc. quaest. IV. 9. 10.

2) D. Laert. VII. 110. 111. Cic. Tusc. quaest. IV. 6. 7.

3) Cic. l. c. 21.

4) Cic. Tusc. quaest. IV. 6. D. Laert. VII. 111.

aegritudinem, quae *λύπη* dicitur, opinionem recentem mali praesentis esse definiunt, in quo et emitti contrahique animo rectum esse videatur; *laetitiam*, quae *ἡδονή* dicitur, recentem boni praesentis, in quo efferrī rectum esse videatur; *metum*, qui *φόβος* vocatur, opinionem impendentis mali, quod intolerabile esse videatur; *libidinem*, quae *ἐπιθυμία* nominatur, opinionem venturi boni, quod sit ex usu, jam praesentem esse atque adesse. Sed quae iudicia, quasque opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus, ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat; metus recessum quendam animi et fugam; laetitia profusam hilaritatem; libido effrenatam appetentiam ¹. §. 8. Sed singulis perturbationibus partes ejusdem generis plures subjiciuntur ut *aegritudini misericordia*, quae *ἔλεος* vocatur, *invidentia* sive *φθόνος*, *aemulatio* sive *ζῆλος*, *obtrectatio* sive *ζηλοτυπία*, *angor* sive *ἄχος* *afflictio* sive *ἐνόχλησις*, *sollicitudo* sive *ἀνία*, *aerumna* sive *ὀδύνη*, *conturbatio* sive *σύγχυσις*. *misericordia* est aegritudo ex miseria alterius injuria laborantis. *invidentiam* esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. *aemulatio* est aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. *obtrectatio* autem est ea, quam intelligi *ζηλοτυπίαν* volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse possideat. *angor* est aegritudo premens. *afflictio* est aegritudo premens cum vexatione corporis. *sollicitudo* aegritudo cum cogitatione atque a cogitationibus proficiscens. *aerumna* est aegritudo laboriosa et se ipsa vexans. *conturbatio* est aegritudo excutiens cogitata et sensus integros ². §. 9. Quibus partibus aegritudinis adjungit Cicero, Stoicos sequens, luctum, moerorem, dolorem, lamentationem, molestiam et desperationem. *Sub metum cadunt*: *trepidatio*, quae *δειμα* vocatur, *pigritia*, quae *ὄκνος* dicitur, *pudor*, qui *αἰσχύνη* nominatur, *stupor* sive *ἐκπληξις*, *terror* sive *φόρβος*, *exanimatio* sive *ἀγωνία*. *trepidatio* est metus mentem loco movens. *pigritia* est timor consequentis laboris.

1) Cic. Tusc. quaest. IV. 7. D. Laert. VII. 111 sq.

2) D. Laert. VII. 111 sq. Luidas. Cic. Tusc. quaest. IV. 8.

pudor est metus ingloriae. *stupor* est metus susceptus ex oblata specie rei inusitatae. *terror* est metus, quo vox faucibus haeret. *pavor* metus rei incertae. §. 10. Quae autem subjecta sunt sub *libidine*, vocantur *indigentia* sive *σπάνις*, *odium* sive *μῖσος*, *discordia* sive *φιλονεικία*, *ira* sive *ὄργη*, *desiderium* sive *ἔσως*, *inimicitia* sive *μῆνις*, *excandescencia* sive *θύμωσις*. *indigentia* libido inexplibilis. *odium* est libido permanens nocendi. *discordia* est libido tuendae sententiae. *desiderium* est libido ejus, qui nondum adsit, videndi. *inimicitia* est ira ulciscendi tempus observans sive ira inveterata. *excandescencia* est ira nascens et modo existens. §. 11. *Voluptatis* autem partes hoc modo describunt, ut *delectatio*, quam *κῆλησις* vocant, sit voluptas suavitate auditus animum deleniens, *malivolentia* sive *ἐπιχειροεκακία* sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo. *levitas* sive *τέρψις* sit voluptas animum remittens. *jactatio* sive *διάχυσις* sit voluptas gestiens et se efferens insolentius¹. §. 12. Quibus perturbationibus animi respondent aegrotationes vel morbi. Definiunt autem *animi aegrotationem* *opinationem vehementem de re non expetenda*, tanquam valde expetenda, *inhaerentem et penitus insitam*. quod autem nascitur ex *offensione*, ita definiunt, *opinionem vehementem de re non fugienda*, *inhaerentem et penitus insitam*, tanquam fugienda. haec autem opinatio est judicare, se scire, quod nesciat. §. 13. *Aegrotationi* autem talia quaedam subjecta sunt; *avaritia*, *ambitio*, *mulierositas*, *pervicacia*, *ligurritio*, *vinolentia*, *cupedia* et si qua similia. est autem *avaritia* opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda, inhaerens et penitus insita. similisque est ejusdem generis definitio reliquarum. §. 14. *Offensionum* autem definitiones sunt ejusmodi, ut *inhospitalitas* sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, eaque inhaerens et penitus insita. similiterque definitur et *mulierum odium*, ut Hippolyti, et ut Timonis, generis humani. §. 14. Quomodo autem in corpore est morbus, est aegrotatio, sic in animo. *Morbum* appellant totius corporis corruptionem; aegrotationem morbum cum imbecillitate; vitium, cum partes corporis inter se dissident. ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. itaque

1) D. Laert. VII. 111. sq. Cic. Tusc. quaest. IV. 7. 8. 9.

illa duo, *morbis* et *aegrotatio*, ex totius valitudinis con-
quasatione et perturbatione gignuntur, vitium autem integra
valitudine, ipsum ex se cernitur. sed in animo tantummodo
cogitatione possumus morbum ab aegrotatione sejungere.
vitiositas autem est habitus aut affectio in tota vita incon-
stans et a se ipsa dissentiens. ita fit, ut in altera, corruptione
opinionum morbus efficiatur et aegrotatio; in altera, incon-
stantia et repugnantia. §. 15. *Vitia* affectiones sunt manentes;
perturbationes autem, moventes, ut non possint affectionum
manentium partes esse. atque, ut in malis attingit animi
naturam corporis similitudo, sic in bonis. sunt enim in cor-
pore praecipua: pulchritudo, vires, valitudo, firmitas, velo-
citas; sunt item in animo. Ut enim corporis temperatio,
cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas sic
animi dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant,
eaeque animi est virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt
esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis et eam
subsequentem, nec habentem ullam speciem suam; sed sive
hoc, sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quae-
dam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum
curatione medicorum conturbatio mentis aufertur. Et ut
corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris
quodam suavitate, ea, quae dicitur pulchritudo, sic in animo
opinionum judiciorumque aequabilitas et constantia cum
firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens, aut vir-
tutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. §. 16. Item-
que viribus corporis et nervis et efficacitati similes similibus
verbis animi vires nominantur. Velocitas autem corporis
celeritas appellatur, quae eadem ingenii etiam laus habetur
propter animi multorum rerum brevi tempore percursionem.
Illud animorum corporumque dissimile, quod animi volentes
morbo tentari non possunt, corpora possunt. sed corporum
offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item,
quorum omnes morbi et perturbationes ex aspersione
rationis eveniunt. itaque in hominibus solum existunt. nam
bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non
incidunt. Inter acutos autem et inter hebetes interest, quod
ingeniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in mor-
bum et incidunt tardius et recreantur ocuis; hebetes non

item. §. 17. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit. non enim multa efferata et immania; quaedam autem humanitatis quoque habent primam speciem, ut misericordia, aegritudo, metus. §. 18. Aegrotationes autem morbique animarum difficiliter evelli posse putantur, quam summa illa vitia, quae virtutibus sunt contraria. morbis enim manentibus vitia sublata esse non possunt, quia tam celeriter sanantur, quam illa tolluntur¹.

CAPUT XVII.

CONCLUSIO.

Habes ea, quae Stoici de moribus disputarunt, qui hanc partem philosophiae τὸ ἠθικόν appellabant. Disciplinam Stoicorum a Socrate et Platone emanasse videmus. Plato, qui in illis libris, qui de republica inscribuntur, Pythagoram secutus est, qui φρόνησιν fontem omnium virtutum esse dixit, et justitiam majorem fructum et usum praebere quam injustitiam, sapientem putat omnibus numeris absolutum esse. quare ille praefectus civitati, qui φύλαξ dicitur, et sapiens, et prudens, et moderatus et fortis et sanctus et omnium peritus philosophus a Platone inducitur. Socrates enim apud Platonem unam virtutem esse dixit γενε (ἐν μὲν εἶναι εἶδος τῆς ἀρετῆς), specie autem quattuor, itemque vitia, quae ἀδικία καὶ ἀκολασία καὶ δειλία καὶ ἀμαθία nominantur². Protagorae, qui virtutes inter se differre ut os, nasum, oculos et aures, aliasque virtutes esse viri, alias feminae, alias juvenis, alias senis, nec justitiam fortitudinem, nec fortitudinem justitiam continere putabat, ita, ut justus non fortis, nec fortis justus et moderatus esset, Socrates probat virtutes omnes in omnibus ita contineri ut una sola virtus esse videatur. Quam eandem sententiam et in Gorgia et in Menone Socrates probat. Apud Xenophontem Socrates sapientiam scientiam esse dicit, sapientem nulla

1) Cic. Tusc. quaest. IV. 13. 14.

2) t. IV. p. 541. 545 ed. H. St.

alia re, quam sapientia sapere, quare sapientem scientia sapientem esse putavit ¹. Sapientes sunt ii, Socrates inquit, qui bona et mala sciunt, et ii, qui sciunt, nec fallunt nec falluntur, et ipsi virtutem exercent, et fortes et moderati et justi sunt. ² quare et prodesse sapientes, contendit, quod bonum utile, et utile bonum, quod pulchrum utile, et utile pulchrum et honestum sit ³. Quae cum ita sint, Zenonem Socratis et Platonis disciplinam secutum esse videmus, sed, quum Crates Zenonis magister esset, disciplina Cynicorum media numeranda est inter Socratis scholam et Zenonis, quare Diogenes Laertius recte et Zenonis asperitatem vitae, et finem bonorum, et indifferentiam bonorum externorum, et speciem sapientis et in Cynicorum disciplina et Stoicorum ponit ⁴.

1) Memor. IV. c. 6. §. 7.

2) eod. IV. c. 9.

3) eod. IV. c. 6.

4) D. Laert. lib. VI. §. 102 usq. ad fin. huj. lib.

T H E S E S.

1. Omnis philosophia in genere versatur.
2. Omnis cognitio aut notio est, aut idea.
3. Notiones experientiam, ideae scientiam continent.
4. Experientia et a posteriori et a priori proficiscitur.
5. Experientia est synthetica.
6. Scientia a priori oritur.
7. Scientia certitudinem habet.
8. Principium infinitum est ens.
9. Principium infinitum est origo virtutis, veritatis, utilitatis, pulchritudinis.
10. Principia finita sunt duo, efficiens et effectum.
11. Libertas est ratio recta.
12. Principium infinitum civitatis est justitia.
13. Principia finita sunt maritus et uxor.
14. Principium infinitum oeconomiae est utilitas.
15. Principia finita oeconomiae sunt mutationes.



T H E S I S.

1. Omnis philosophia in generis versatur.
2. Omnis cognitio hoc modo est, aut illa.
3. Notiones experientiam, ideam scientiam continent.
4. Experimenta esse posteriora et a priori rationibus.
5. Experimenta est synthetica.
6. Scientia a priori oritur.
7. Scientia certitudinem habet.
8. Principium intellectum est ens.
9. Principium intellectum est origo virtutis, veritatis, utilitatis, pulchritudinis.
10. Principia facta sunt duo, efficiens et effectum.
11. Libertas est ratio recta.
12. Principium intellectum civitatis est justitia.
13. Principia facta sunt mentis et moris.
14. Principium intellectum economicum est utilitas.
15. Principia facta economicum sunt iustitiam.